

tales a Romana desciverunt Ecclesia: quo discidio Romani Pontifices, omni communione cum illis abrupta, noluerunt amplius eiusmodi accipere epistolam; cum praesertim Romana Ecclesia mathematicae scientiae tunc temporis abundaret. Nunc vero mos obtinet, ut hac die in Missa, quae in Ecclesia Cathedrali solemmiter celebratur, post Evangelium Archidiaconus, vel Canonicus, vel Beneficiatus, seu quisvis alius iuxta locorum consuetudinem totius ineuntis anni Festa mobilia populo e suggesto denuntiet.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. VIII, 23-27.

In illo tempore: Ascendente Iesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli eius.

23. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat.

25. Et accesserunt ad eum discipuli eius, et suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos, perimus.

26. Et dicit eis Iesus: Quid timidi estis, modicae fidei? Tunc surgens, imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.

27. Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.
(Habetur integra in Breviario).

Homilia S. Hilarii Episcopi.
IN MATTH. CAP. VIII.

Ret ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli. Et ecce tempestas magna facta est in mari, et reliqua (MATTH. VIII, 23 et seqq.). Navem discipulis introgressis tempestas oritur, mare commovetur, navigantes turbantur. Ipse vero somno consopitus timentium metu excitatur, oratur ut opem afferat. Et increpitis iis quod modicae essent fidei, vento et mari tranquillitatem imperavit, cum admiratione hominum praecipit eius ventum et mare obedisse. Igitur secundum haec Ecclesiae, intra quas verbum Dei non vigilaverit, naufragae sunt: non quod Christus in

somnum relaxetur, sed quod somno nostro consopiat in nobis. Maxime autem illud accidit, ut a Deo praecipue in periculi metu et vexatione speremus. Atque utinam vel spes sera confidat sese periculum posse evadere, Christi intra se virtute vigilante. Perpetuam autem nobis obiurgationis suae recordationem reliquit, dicens: *Modicae fidei, quid timidi estis?* (Ibid. 26) metum scilicet motum saecularium, cum quibus Christi fides vigilet, nullum esse oportere.

Consequitur deinde hominum admiratio dicentium: *Qualis hic homo est, quod venti et mare obediunt ei?* (Ibid. 27). Non discipulorum hic sermo, sed gentium est. Nam cum superius et discipulos tantum navem introisse, et a discipulis tantum excitatum esse dixisset; nunc admiratos esse homines significat, hominibus hominem in ipsa admiratione dicentibus. Qua nominum conversione intelligitur, omnia opera Christi, omnesque eius virtutes ut Dei esse laudandas: quia piaculi gentilis miserrimique erroris stultitiam demonstrat, quod eum ex humilitate passionis hominem potius nuncupent, quam ex virtutibus Deum.

Varia de Sanctif. fest., ex Benedicto XIV.
(INSTITUTIO 43. n. 14, 15).

XIV.

FINEM sermone imponimus Concionatores, et Patros omnes magnopere admonentes, ut quoties ad populum verba faciunt, eius praecipue gravitatem explanent, quo dierum festorum celebritates excolendae indicantur. Non ignorant quidem naturae ipsius praeepto homines obstringi ut dies aliqui Deo optimo Maximo consecrarentur. In veteri Testamento illud iussum fuerat: *Memento, ut diem sabbati sanctifices....; sex enim diebus fecit Dominus coelum, et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt, et requievit in die septimo. Idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum* (EXOD. XX, 11). Apostoli vero diem Dominicum sabbati loco succederunt, quod eo die Salvator noster ad immortalitatem vitam surrexerit. Hinc in Apocalypsi

FERIA SECUNDA

Homilia S. Ioannis Chrysostomi.

IN MATTH., ROM. 22.

LUCAS, ne quis ab ipso temporum ordinem exigeret, sic ait: *Factum est in una dierum, et ipse ascendit in naviculam, et discipuli eius* (LUC. VIII, 22). Marcus quoque similiter. Hic vero non item, sed temporum quamdam servat seriem. Neque enim omnia omnes eodem modo describunt: id quod a me iam supra dictum est, ne quis ex omissione dissonantiam inter ipsos esse putaret. Turbis itaque praemissis, discipulos secum assumpsit: nam hoc illi dicunt. Assumpsit autem non frustra, nec sine causa, sed ut futuri miraculi spectatores essent. Quemadmodum enim palaestrae magister optimus, ad utrumque illos exercebat, ut in malis imperterriti essent, et in honoribus modesti. Ne altum enim saperent, quod missis aliis, ipsos retinisset, tempestatem permittit, tum ut hoc efficeret, tum ut eos ad ferendas fortiter acrimnas exerceret. Nam magna quidem erant priora signa, sed praesens signum non parvam quamdam exercitationem afferebat, ac veteri cuidam signo simile erat. Ideoque solos secum adducit discipulos. Nam ubi miracula edebantur, populum sinit adesse: ubi vero pericula et terrores, discipulos, athletas nempe orbis, quos exercitaturus erat, solos secum assumit. Matthaeus solum dicit, ipsum dormivisse, Lucas vero addit, in cervicali, ostendens quam esset a fastu alienus, et ad magnam inde philosophiam non instituens. Oborta itaque tempestate, cum fureret mare, illum excitant dicentes: *Domine, salva nos, perimus*. Ipse vero illos primum, deinde mare increpavit. Nam ut dixi, exercitationis causa haec permittebantur, et figu-

S. Ioannis cap. 1, habetur: *Fui in Spiritu in Dominica die*. Sed quoniam in veteri lege praeter sabbati celebritatem, alii quoque dies festi designati fuerunt, ut praecleara Dei opera debita religione ac memoria Iudaei prosequerentur, et fortia gesta praestantium mulierum celebrarent Iudith, Esther, Machabaeorum, aliorumque, qui inter ipsos Iudaeus immortalis sibi gloriam, et laudem comparaverant, profecto in nova Lege per Apostolos etiam solennes aliqui dies instituti fuerunt, ut praecipuis Religionis mysteriis, invictisque Fidelibus Sacri honores decernerentur.

944 Certissimum pariter est oportere, ut non modo patrefamilias dies festos colant, sed liberos etiam suos, ac domesticos ad hoc praeeptum observandum impellant. Quare post allata superius Exodi verba, haec subiciuntur v. 10: *Non facies omne opus in eo tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, iumentum tuum, et advena, qui est intra portas tuas*. Neque profecto Dei voluntati satisfaci, qui solum dierum festorum celebritates in eo constituit, ut rei divinae intersit, et a servilibus operibus absteineat; non vero contendit omni studio, ut Deo vero cultum exhibeat; nec ulla peccati labe per dies festos inquinetur, ut per Isaiam Deus ipse declarat: *Neomeniam, et sabbatum, festivitates alias non feram, quia qui sunt coetus vestri, Calendas vestras, et solemnitates vestras, odisti anima mea; et per Malachiam: Dispergam super cultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum*.

945 XV. Tandem plane cognitum est, ac perspectum eos, qui dies festos contempserint, etiam in hac vita puniendos, uti Deus per Ezechielem indicavit: *Sabbatu mea violaverunt vehementer: dixi ergo, ut effunderem furorem meum super eos, et consumerem eos*. Libro autem Numerorum traditur, Iudaeum quemdam, qui die sabbati ligna congregabat, in potestatem Moysis, et Aaron proditum fuisse, ipsorumque iussu in carcerem detrusum, sed cum incerti essent quid de illo statuendum videretur: *Dixit Dominus ad Moysen: morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra*. Nostris quoque temporibus certissima divinae ultionis argumenta sub oculos versantur. Nam ceteris omnibus omissis, messen hoc anno uberrimam speravimus, quam tamen exiguam, ac tenuem congressimus. Id vero non dictum a nobis temere putandum est, sed ex Sacris Litteris apertissime deprehenditur ex contemptu dierum Festorum id potissimum dimanare: *Custodite* (inquit Deus) *sabbata mea, etc. et dabo vobis pluviam temporibus suis, et terra signet germen suum, et pomis arboribus replebitur*.

rae erant tentationum, quae ipsos erant invasurae. Etenim postea saepe permisit eos in graviore negotiorum procellas incidere, et succurrere distulit. Unde Paulus dicebat: *Nolo autem vos ignorare, fratres, quoniam valde gravati sumus supra vires, ita ut nos caederet etiam vivere* (II Cor. I, 8); et postea: *Qui ex tot mortibus nos eripuit* (Ibid. 10). Ut ostendat igitur, fiducia uti oportere, etiamsi magni concitentur fluctus, ipsumque omnia utiliter dispensare, primum ipsos increpat. Nam quod turbati fuerint, id illis utile fuit, ut maius esse miraculum videretur, et perpetua servaretur rei memoria. Quando enim inexpectatum quidpiam futurum esset, multa praeparantur servandae rei memoriae opportuna, ne editum postea miraculum in oblivionem veniat. Sic Moyses serpentem primo formidavit, nec modo formidavit, sed cum magno animi terrore, tuncque vidit stupendum illud prodigium. Ita et discipuli, cum iam de salute ferme desperassent, tunc liberantur, ut periculum confessi, miraculi magnitudinem edicerent. Ideoque dormit: nam si vigilante illo id factum esset, vel non timuissent, vel non rogassent, vel non putassent posse illum id efficere. Ideo dormit, ut det timendi occasionem, et validiorem ipsis praesentium sensum efficiat. Neque enim quis perinde videt ea quae in alienis corporibus fiunt, atque ea quae in corpore suo. Quia igitur omnes videbant beneficio affectos fuisse, se vero nihil accepisse beneficii, quasi supini manebant; neque enim claudi erant, vel alio affecti corporis vitio; oportebatque tamen illos beneficiorum sensu affici; tempestatem oriri concedit, ut ea liberati, clariorem beneficii sensum perciperent. Ideoque non praesentibus turbis id agit, ne ut modicae fidei damnarentur; sed solos emendat, et in-

crepando prius mentis ipsorum quam aquarum tempestatem sedat, dicens: *Quid timidi estis, modicae fidei?* simulque docet, timorem non ab immissis tentationibus, sed ab animi infirmitate oriri. Quod si quis dixerit, non ex timore vel ex modica fide motos discipulos illum excitasse: respondebo illud maxime signum esse, eos non congruenter de illo opinionem habuisse. Sciebant quidem ipsum expergefatum increpare posse; dormientem vero nondum putabant. Et quid miraris si nunc timeant, quando post multa etiam alia miracula infirmiores adhuc erant? Quapropter saepe increpantur, ut quando dicit: *Adhuc et vos insipientes estis?* (MATTH. XV, 16). Ne itaque mireris, cum discipuli tam imbecilles erant, si turbae nihil magnum de ipso opinabantur; mirabantur quippe dicentes: *Qualis est hic homo, quia et mare et venti obedunt ei?* Christus vero non corripuit eos, quod hominem esse ipsum dicerent; sed expectabat interim per miracula docens illos falsam hanc opinionem esse. Undenam hominem illum esse putabant? Ex aspectu, ex somno, quod navi uteretur. Idcirco in stuporem coniciebantur dicentes: *Qualis est hic?* Somnus quippe et quidquid apparebat hominem indicabat: mare et parta tranquillitas Deum declarabat.

Quamquam enim Moyses aliquid simile olim fecerat, vel hinc Christi eminentia declarabatur, quod ille ut servus, hic ut dominus miracula pararet. Non enim virgam extendit ut ille, neque manus expandit versus coelum, neque precatione opus habuit: sed ut par est dominum ancillae, et creatorem officio praecipere, sic illam sedavit et frenavit verbo et praecepto tantum: atque omnibus soluta tempestatem est, nec vestigium procellae mansit. Illud enim declaravit Evan-

gelista dicens: *Et facta est tranquillitas magna.* Quod de Patre quasi res grandis dictum fuerat, id ipse operibus exhibuit. Quid de Patre dictum fuerat? *Discit et stetit spiritus procellae.* Sic et hoc loco dicit: *Et facta est tranquillitas magna.* (PSAL. CVI, 25). Propterea turbae illum summe mirabantur: quae non ita miratae fuissent, si fecisset ut Moyses.

Varia de vita occulta D. N. I. C.,
ex Ludolpho de Saxonia.

(VITA IESU CHRISTI, PARS I, CAP. 16).

948 **R**EVERSUS ergo Dominus Iesus a templo et Ierusalem, cum parentibus suis, in Nazareth, erat, ut dictum est, subditus illis. Et ibidem cum eis usque ad principium anni trigesimali habitavit: nec in Scripturis reperitur quod in toto tempore isto aliquid fecerit; quod valde videtur mirabile. Quid igitur meditabimur ipsum fecisse? Stetitne Dominus Iesus otiosus tanto tempore, ut nihil faceret dignum scriptura et recitatione? Si enim fecisset, cur, sicut reliqua facta sua, non scriptum fuisset? Omnino stupor videtur. Forte ideo Scriptura tacet, ne acta iuniorum nimis se publicent. Sed attende hic bene, quia patenter poteris videre, quod nihil faciendo, fecit magna. Nihil enim de factis eius a mysterio vacat; sed sicut virtuose loquebatur et operabatur, sic virtuose tacebat et se subtrahebat. Credendum est enim, sicut dicit doctor Gregorius, quod ante et deinceps, absque ostensione alicuius famosi et publici miraculi taliter inter homines conversatus fuerit, quasi unus ex illis, donec ad virilem pervenit aetatem. Unde de ipso dicit Ioannes Baptista: *Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.* Et totum istud tempus breviter complexus est Lucas sub his verbis: *Et descendit cum eis, et erat subtilis illis.* Unde et Thomas: * Medio tempore, scilicet a natiuitate usque ad Baptismum nullum miraculum Christus operatus est, sed conformis conversationis aliis erat, et sua virtus ignota omnibus existebat. Ideo autem non fecit miracula, medio tempore, ut non putaretur mysterium Incarnationis phantasma esse, si non se habuisset sicut alii aetate infantes, et ideo demonstrationem scientiae et virtutis suae ad id distulit tempus, in quo alii homines scientia et virtute vigere conseruerunt: haec Thomas. Magister hic summus, aliquando docturus virtutes et vitam vitae, coepit a sua iuventute opera virtuosa

facere, sed modo mirabili et incognito ac retroactis temporibus inaudito, videlicet se in conspectu inutilem et abiectum et insipientem redidit, ut devote et sine omni temeraria assertione cogitari et meditari potest. Et cum hac modificatione omnia tibi affirmo, quae per auctoritatem sacrae Scripturae non probantur, prout etiam supra in prologo recitatur. Subtrahebat ergo se a consortio hominum, et tumultus eorum deiecit, crebrisque orationibus intentus erat. Ibat ad synagogam, id est ad ecclesiam, et stabat ibi multum in oratione, ponens se in loco viliori et magis humili. Redibat domum, et cum Matre ac nutritio suo stabat, et aliquando hos adiuuabat. Pertransibat eundo et redeundo inter homines, ac si non inuenerit homines.

Mirabantur cuncti, cernentes Iuvenem tam speciosum nihil facere, quantum apparebat, laude dignum. Exspectabant quod faceret magna, et probi viri opera. Cum enim puer erat, proficiebat aetate et sapientia et gratia apud Deum et homines; sed ecce crescentem et perveniens usque ad vigesimum annum, et etiam usque ad vigesimum quintum et ultra, nulla faciebat opera, aliquam speciem probitatis et virilitatis praecedentia. Stupebant vehementer eum, et deridebant, et apud omnes communiter vilis et abiectus reputabatur. Quod bene per Prophetam in Persona Ipsi dictum fuerat: *Ego sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis.* Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput. Reddebat ergo se vilem omnibus et abiectum. Sed an tibi parum hoc videtur? Ipse quidem non indigebat, sed certe in operibus nostris nullum maius aut difficilius reputatur: ad altissimum gradum perveniens videtur ac difficultimum, qui ad hoc pervenit, ut corde et animo vere et non fite ita se vincit ac dominatur animo suo, et superbo carnis suae supercilio, quod nolit alicuius momenti reputari, sed ut abiectus et vilis sperni. Usquequo igitur ad hunc gradum perveneris, nihil tibi fecisse videaris. Nam cum in veritate, iuxta verbum Domini, omnes sumus inutilis, etiam cum bene fecerimus, quousque in hoc abiectiois gradu non sumus, nondum in veritate stamus, sed in vanitate consistimus et ambulamus. Unde non seducamus nosmetipsos, quia, secundum Apostolum: *Qui se existimat aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit.* In omni quidem cura quam pro salute tua geris, non est ullum officium vel medicamentum utilius tibi quam te ipsum vituperare atque contemneri. Quicumque ergo hoc facit, adiutor tuus est; hoc enim agit quod tu agere, aut agere debebas, ut salvus fieres. Ad eum itaque qui iniuriam tibi fecit, privatam magis te ex-

hibe et affabilem; ad eum vero cui tu fecisti, supplicem et erubescens. Adversarium tuum et eum qui tibi molestiae aliquid irrogat, amicum et adiutorem aestima; damnum tibi illatum et contumelias, luerum et profectum tuum deputa, et pro his gratias Deo et inferentibus referre non cessas.

FERIA TERTIA

Homilia S. Thomae Aquinatis.
IN MATH. CAP. 8.

950 **E**t ascendente eo in naviculam. Positum est praeceptum Domini de transfretatione; hic ponitur executio praecepti. Erant enim manifestata miracula in terra, vult manifestare in aquis, ut ostendat se esse dominum terrae et maris. Per istam naviculam intelligitur Ecclesia, vel crux Christi; unde de ista potest dici illud Sap. xiv, 5: *Exiguo ligno committunt animas suas.* Discipuli Domini sequuntur eum in Ecclesia per obsequium mandatorum. Item sequuntur eum ascendentes in cruce. Ad Galat. vi, 14: *Per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Deinde subiungitur miraculum. Et primo ponitur periculum imminens; secundo discipulorum interpellatio, ibi, *Et accesserunt;* tertio eorum exauditione, ibi, *Et dicit eis Iesus.* Periculum tangitur ex procella, et Christi dormitione. *Et ecce motus factus est magnus.* Sicut sancti dicunt, non est facta tempestas ex intemperie aeris, sed ex divina ordinatione provenit. Et hoc factum est multiplici ratione. Primo ut discipuli, qui specialiter dilecti et vocati erant, humilia saperent, et non se extollerent; et hoc significabat futurum periculum, quod imminere debebat tempore passionis. Et post, ut ait Paulus Apostolus II ad Cor. 1, 8: *Gravati sumus supra virtutem, ita ut nos laederet etiam vivere.* Item alia causa, ut scirent in periculis

vivere, et vincere, ut habetur Rom. viii, 37: *In omnibus his superamus propter eum qui dilexit nos.* Item Chrysost. exponit, quia ipsi erant praedicaturi, quae de Christo viderant; ideo ut magis in ipsis experti essent miraculis, et essent certiores, voluit Dominus eos pati. Unde in Psal. lxxv, 16: *Venite, et narrabo opera Domini.* Citius enim poterant recordari de huiusmodi quae sibi evenerunt. *Ipsae vero dormiebat;* et hoc ut ostenderet se verum hominem; sic enim erat in omnibus, ut ubi volebat ostendere divinitatem, semper ostendebat aliquid humanitatis. Dormiebat, quia habitu inventus est ut homo, Philipp. ii, 7. Secundum enim divinitatem non dormiebat. Unde Psal. cxx, 7: *Non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel.* Item dormiebat, ut constituerentur inter tingerem et spem. Item ut ostenderet singularitatem, quia in tanta tempestate manebat securus; Prov. viii, 28: *Quando librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis.* Sequitur interpellatio discipulorum, *Accesserunt discipuli,* etc. Tantus enim erat ventus, quod oportuit eum evigilare: et totum istud dictum fuit in figura de Iona, quia Iona in navi dormiebat: et nautae evigilaverunt eum ad interpellationem, isti vero ad salvandum; unde dicunt: *Domine, salva nos, perimus.* Et primo confitentur potestatem eius dum dicunt, *Domine;* Ps. lxxxviii, 10: *Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.* Item petunt auxilium, quia sciebant ipsum esse salvatorem; Is. xxxv, 4: *Ipsae veniet, et salvabit nos.* Item periculum terrenorum expriment. Et hic signatur mors Christi in dormitione, qui et excitatus est per resurrectionem. Vel dicitur dormire in tribulationibus et tentationibus sanctorum: et tunc pre-

cibus sanctorum evigilat: unde dicitur Psal. xl, 2: *Exsurge, quare obdormis, Domine?* Item dormit in pigris: unde excitandus est, ut admonet Paulus ad Eph. v, 14: *Exsurge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Sequitur quomodo subvenit: *Quid timidi estis modicae fidei?* Videtur quod non essent modicae fidei, quia dicebant: *Salva nos;* sed vere modicae fidei fuerunt, quia non credebant quod etiam dormiens posset salvare. Vel *modicae fidei,* quia si ipsi haberent magnam fidem, ipsi possent imperare mari. *Tunc surrexit et imperavit ventis:* tempestas enim oritur ex ventis ut ex causa efficiente, ex aquis ut ex causa materiali: et utrique imperavit; unde Psal. cvi, 25: *Dixit, et stetit spiritus procellae.* Et hoc est quod dicitur: *Et facta est tranquillitas magna.* Sed consuetudo est quod quando fit tempestas, duobus diebus mare non sedatur totaliter. Ideo ut appareat perfectum miraculum, statim facta est tranquillitas magna, quia *Dei perfecta sunt opera.* Deut. xxxii, 4: *Porro homines mirati sunt,* etc. Hic ponitur effectus, scilicet admiratio barbarum. Quod dicitur *homines,* non intelligatis Apostolos, quia nunquam Apostoli sic appellantur; sed per homines intellige nautas. Vel, secundum Hieronymum, si etiam intelligas homines, idest Apostolos, potest esse quod dubitare potuerunt ut homines, dicentes: *Qualis est hic?* Hic Chrysostomus addit *Homo;* quia enim ipsum viderant dormientem, hominem vocabant; quia signum divinitatis viderant, ideo dubitabant. *Quia venti et mare obedunt ei:* quia omnis creatura suo creatori obedit; Ps. cxxviii, 8: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt verbum eius,* etc. Non quia animam rationalem habeant, sed quia ad modum obedientis se habent. Ut manus et mem-

bra animae obediunt, quia statim moventur ad eius nutum, sic omnia Deo obediunt.

Varia de vita occulta D. N. I. C.,
ex Ludolpho de Saxonia.

(VITA IESU CHRISTI, PARS I, CAP. 16.)

951 **N**AM, secundum quendam, humilis gaudet cum despiciatur, dolet si honoratur, gemit in prosperis, exsultat in adversis, in divitiis, luget in dilectis, cruciatur in abundantia, et in penuria gloriatur, laudes contemnit transitorias, et omni honore aestimat se indignum, abhorret hypocritam, nescit simulationem, sed diligit veritatem, temporalia obliviscitur, et aeterna concupiscit; nescit quae mundi sunt, ut coelestia mereatur; nunquam de se praesumere consuevit; vires suas vel gratias, si quas habet, nunquam sibi tribuit; merita sua non suis viribus vel suo sensui adscribit, sed divinae clementiae dona humiliter recognoscit. Idem latere desiderat, si fieri possit sine damno proximi, ne possit vel modico iactantiae seu elationis vitio inquinari. *Quis est talis, et laudabimus eum?* Unde Bernardus: *Appetere de humilitate laudem humilitatis, non est virtus, sed subversio.* Verus humilis vilis vult reputari, non humilis praedicari; gaudet in contemptu sui, hoc solo sane superbus quod laudes contemnit; haec Bernardus. Si ergo quaeras quare Dominus sic vivebat, respondeo tibi, non quia indigeret; sed ut nos instrueret. Unde si non discimus, inexcusabiles sumus. Abominabile est prorsus, si se erigit vermiculus, et vermium caesa futurus, ubi se humilium abiecit Dominus maiestatis. Si autem absurdum alicui videatur quod sic inutiliter staret, et quod Evangelistae multa de factis eius omiserint, et alia similia forte dicat, responderi potest quod non erat inutile facere et praebere tantae virtutis exercitium; imo erat valde utile, et omnium virtutum rectum et stabile fundamentum. Hoc autem quod dico videtur etiam Bernardus sentire, prout habes infra in tractatu de Baptismo Domini circa finem. Quomodoque autem se habet veritas rei, pium et utile videtur sic meditari.

952 Habes ergo quomodo Dominus Iesus coepit prius facere quam docere. Doctrus enim erat: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Hoc ergo primo facere voluit, et non fide, sed ex corde facebat, sicut vere, et ex corde humilis et mitis erat. Non poterat in eum simulatio cadere, sed potius intima fundavit et profundavit se in humilitate, vilitate et abiectione, et sic se

in conspectu omnium annihilavit; quod etiam postquam praedicare, ac divina et altissima loqui, miracula quoque magna opere facere coepit, non cum repatabant, sed vilipendebant, dicentes: *Quis est hic? Nonne hic est fabri filius?* Et multa alia derisoria et despectiva dicebant. Verificatum est ergo, secundum hunc intellectum, verbum Apostoli: *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens*, et non solum cuiuscumque servi per incarnationem, sed etiam inutilis servi, per humilem et abiectam conversationem.

FERIA QUARTA

Homilia S. Thomae a Villanova.
(IN DOM. IV. POST EPIPH. COEPTO.)

953

MARE est cor impii. Propheta: *Cor impii quasi mare fervens*. Ieremias: *Quid tu vides Ieremia? Ollam succensam ego video*, etc. Nonne mare, avarus? Mare, luxuriosus, et ambitiosus? Quis ferventes undas valeat desideriorum intra cordis claustra retinere, ne exeant? Iob: *Quis conclusit ostiis mare*, etc. *Quando erumpebat quasi de vulva procedens. Circumdedit illud terminis meis, et posui vectem, et ostia. Et dixi: Usque huc venies, et non procedes, et hic confringes tumentes fluctus tuos*. Nemo sibi adscribat frangere motus desideriorum. *Quasi de vulva*, id est fonte. Fons, unde omnia haec emanant, est fomes peccati. Ex peccato originali illa infectio naturae, ex afflatu serpentis. *Circumdedit illud terminis meis*, id est praeceptis. O quantum contracta littora irae! *Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides*, etc. *Ego autem dico vobis: quia, qui irascitur fratri suo*, etc. O quam stricta littora luxuriae! *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est in corde suo*. Sed nihil proderat signare littora, nisi interius poneret ipse claustra. Alias impetus fluctuum, prae humana fragilitate, statutos limites praeceptorum transirent. Ideo sequitur: *Posui vectem, et ostia*,

etc. Ostia sunt timor et pudor, naturae inserta. O quantos fluctus impediunt, ne prosiliant foras! Quot peccata non ponuntur in executionem aut propter timorem, aut propter verecundiam! Bernardus: Dominus clausit illis mare rubrum, ne redirent post tergum ad Aegyptum. Quantos impedit mare rubrum vecte verecundiae redire ad Aegyptum? Sed debiles forte sine vecte. Quis vetis, nisi charitas? De qua Apostolus: *Quod est vinculum perfectionis*. O si peccator ex amore Dei non omittit peccare, quia non vult indignare Patrem tam bonum, et Creatorem, parum prodest timor, vel verecundia! Fortis vetis charitas: *Fortis est ut mors dilectio*. Ut quid morti comparatur dilectio, nisi quia sicut omnia superat mors, ita omnia vincit dilectio? *Quis nos separabit a charitate Dei? An tribulatio*, etc. *Et dixi: Usque huc venies*, etc. Isidorus: Quidam tentatur usque ad suggestionem; alius usque ad delectationem; alius usque ad consensum. Bernardus: Prima, macula; secunda, plaga; tertia, mors. *Usque huc venies*: Usque illuc. Interim non consentientibus, ut ait Apostolus: *Nihil damnationis est tuis qui sunt in Christo*. Si qui tamen consenserint, clament cum Psalmista: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam*. Nam ruptis foribus sensuum et foribus appetituum, pervenerunt ad animam. *Hoc mare magnum, et spatiosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus*. Fluctus sunt desideria: venti tentationes, immissiones per angelos malos: navicula conscientiae: nauta anima: vela cogitationes: remi labores: portus mors est. Ibi: *Secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua*. Id est delectationem, gloriam sempiternam, etc. *Malos autem foras miserunt: dolores, angustias, tribulationes*. In viris iustis

usque ad litus, persecutor, tempestates saeculi, etc.

⁹⁵⁴ Sed quid de hoc mari Psalmista? *Mare*, inquit, *vidit et fugit*. Quid vidit mare ut fugeret? Si considerentur verba Prophetiae, dum unum dicit, aliud intelligit. Non lego, quod mare viderit, aut fugerit. Pater Augustinus. Quid ergo vidit, obsecro, mare, quia timuit? Quid timuit, quia fugit? Psalmus: *Viderunt te aquae Deus, viderunt te aquae: et timuerunt, et turbate sunt abyssi*. Vidit potentia humana, humiliatam potentiam divinam, et velut fluctus planavit se coram Dei sapientia. Vidit opulentia humana, in paupertate Dei divitias, et timuit, et fugit. Quis fastus hominis, quae pompa potest expectari? Quid ait Apostolus? *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo*. Quanta maiestas! Et sequitur: *Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis*. Quanta humilitas! Quis fastus non fugit, non evanesceat ut nebula, in tanta humilitate tam supremae Maiestatis? Erubescat ambitio quaerere honorem, ubi gloria Angelorum facta est in opprobrium, et fugiat. Erubescat avaritia quaerere divitias, ubi divitiae coelestes sic in paupertate fuerunt. Erubescat luxuria quaerere voluptates, ubi laetitia saeculi in tantis doloribus fuit. Isti sunt fluctus, qui ante Incarnationem quasi soluti erant vagantes. Sed viso Domino erubuerunt, et fugerunt, sicut nebula solem, et evanuerunt ad eius praesentiam. Nihil sic humiliat hominem, sicut videre humiliatum Creatorem. Exemplum de Rege sedente in terra; quilibet etiam eques sedet cum eo. *Turbatae sunt abyssi*. Abyssus cor hominis.

Turbatur, quando se vertit deorsum, sursum. Quod factum est adveniente Domino; qui corda hominum terrenis desideriiis data, docuit desiderare coelestia. *Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes*. Affluit abundantia aquae summa in tonitruo nubis. Nubes Apostoli: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Ducti vento Spiritus sancti. Voces: *In omnem terram exiit sonus eorum*. Ad foecundandam terram cordium. Aggregata est multitudo aquarum, id est animarum ad fidem, ad eorum praedicationem. Nam una Petri voce, tria millia animarum conversa ad fidem.

⁹⁵⁵ Est ne aliud, quod vidit mare, ut fugeret? Utique est: cum peccator videt deceptionem et periculum rerum saecularium, vanitates, propriam vilitatem, daemones captivitate, mortem instantem, indeterminatum ignem, expectantem infernum devorantem, nudatum hominem coelestium honorum; vidit, et fugit. Fugit de pravitate cordis, de propositis iniquitatibus. O si videremus! Si esset radius lucis, non est aliquis sic iniquus, qui modico lumine statim non resolveretur in lacrymas. Psalmus: *Intellectum da mihi, et vivam*. O Fratres mei! Lugeamus modo, dum prodest: aperiamus oculos nunc: nam postea aperiemus, sed nihil proderit. O quam deceptam se reperit anima, quando de corpore egressa, voluptatibus omnibus ac deliciis mundanis spoliata, videt sibi superesse tormenta aeterna! Iob: *Dives cum dormierit, nihil secum auferet: et aperiet oculos suos, et nihil inveniet. Postquam ostendisti mihi, percussisti femur meum. Confusus sum, et erubui*. Sed quo fugit? Quo potest fugere peccator a Deo? *Si ascendero in coelum, tu illic es: si descendero in infernum ades*. Pater Augustinus: Bonum remedium: fugis a Deo, nec ipsum poteris fugere.

Fuge ad Deum, ipse est refugium, ut defendaris ab ipso. Ipse te defendet a supplicio, ut evadas manus ultrices Dei. Procede ad pedes eius: *Domine, refugium factus es mihi. Diligam te, Domine, fortitudo mea. Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus. Erit Deus omnia in omnibus.* Fortitudo ad aggrediendum, firmamentum ad persistendum, refugium ad evadendum, liberator ad salvandum. Permittit, ut infirmeris in ipso, ut fugias ad ipsum. Ne dicas: Si Dominus firmamentum meum, quis contra me? Permittit ut infirmeris in ipso, ut fugias ad ipsum, et salveris in ipso, et ita plus ei debeas. *Montes excelsi cervis: petra refugium herinacis. Impulsus eversus sum ut caderem: et Dominus suscepit me.* Item: *Iustus cum ceciderit, non colliditur: quia Dominus supponit manum suam. Laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* Flagello sinistrae me sustentat, beneficio dexterae me completitur et allicit ad se. O fratres! Si gemitis: *Derelinquat impius vias suas. Perit fuga a me, ait peccator. Fuge dilecti mi, et assimilate capreae hincloque cervorum.*

Varia de vita occulta D. N. I. C.,
ex Ludolpho de Saxonia.

(VITA IESU CHRISTI, PARS I, CAP. 16).

956 **C**ONSISTERA singulos eius actus: semper in eis re-
luet humilitas. Hic igitur ipsam fabricavit, id
est, ostendit qualiter acquiri possit, scilicet per vil-
ficationem et abiectionem supercilii in conspectu suo
et aliorum, ac per continuum exercitium operum
vilium et humilium. Si enim vis adipisci humili-
tatem, oportet quod praecedat humiliatio, et exer-
citiium operum humilium. Unde Bernardus: * *Humilitas ad quam utique ducit humiliatio, totius est
spiritualis fabricae fundamentum. Siquidem humili-
liatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad
pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis
humilitatis, viam non refugas humiliorum. Nam, si non poteris humiliari, non poteris et ad*

humilitatem provehi. Prodest itaque mihi meam
insipientiam scribi, et a scientibus iure confundi, cui
saepe contingit a nescientibus iniuste laudari.
Grande revera periculum, audire quemquam de
se, supra quam sentit in se. Quis dabit mihi apud
homines tantum de veris digne humiliari, quantum
vel de falsis datum est indigne exaltari? Illam
vero vocem prophetica iure assumerem: *Exaltatus
autem humiliatus sum et conturbatus.* Et il-
lad: *Ludam, et vilior sum.* Ludam, scilicet, ut
illudat. Bonus ludus quo Michol irascitur, et Deus
delectatur! Bonus ludus, qui hominibus quidem
ridiculum, sed Angelis pulcherrimum spectaculum
praebet! Bonus, inquam, ludus quo efficitur op-
probrium abundantibus et despectio superbis. Hoc
casto et religioso ludo ludebat, qui dicebat: *Spe-
ctaculum facti sumus mundo, Angelis et homini-
bus.* Hoc ludo et nos interim ludamus, ut illada-
mur, confundamur, et humiliemur, donec veniat
qui deponit potentes, et exultat humiles, qui nos
lactificet sicut glorificet, et in aeternum exaltet.
Et iterum: * *Oportet namque humiliter sentire de
se nitentem ad altiora, ne dum supra se attollitur
cadat a se, nisi firmiter per veram humilitatem
fuerit solidatus. Maxima enim nisi humilitatis me-
rito minime obtinentur. Propterea qui provehen-
dus est, correptione humiliatur, humilitate gra-
tiam meretur. Tu ergo, cum te humiliari videris,
habeto id signum in bonum; omnino est argumen-
tum gratiae propinquantis: nam sicut ante ruinam
exaltatur spiritus, ita et ante exaltationem humi-
liatur. Sane utrumque legis: Deum scilicet et su-
perbis resistere, et humilibus gratiam dare; ac pa-
ram est cum per seipsum humiliat nos Deus, si
tunc libenter accipimus, nisi et quando per alium
hoc facit, sapiamus similiter. Quomobrem accipe
huius rei mirabile documentum de sancto David.
Aliquando maledictum est illi, et a servo. Ad ille
nec cumulatam sensit iniuriam, quia praesentis
gratiam: *Quid mihi, ait, et vobis, filii Sarciae?*
O vere hominem secundum cor Dei, qui se ulci-
scenti potius quam exprobranti succedendum pu-
tavit! Unde et secuta conscientia loquebatur: *Si
reddidi retribuendum mihi mala, decidan merito
ab inimicis meis inanis.* Vetuit ergo prohiberi ma-
ledicum convitiantem, quacstum aestimans ma-
ledicta. Saeviebat lingua maledicta, et ille intende-
bat quid in occulto ageret Deus. Vox maledictis
in auribus, et animus inclinabat se ad benedictio-
nem. Et ideo dicit: *Bonum mihi, quia humiliasti
me, ut discam iustificaciones tuas.* Vides, quia hu-
militas iustificat nos. Humilitas dixi, et non humi-
liatio. Quanti humiliantur, qui humiles non sunt!
Alii cum rancore humiliantur; alii patienter; alii
et libenter. Primi rei sunt; sequentes innoxii; ul-*

FERIA QUINTA

Homilia Venerabilis Bedae Presbyteri.

DOM. IV. POST EPIPH.

957 **I**n hac navigatione Dominus u-
tramque unius eiusdemque per-
sonae naturam dignatur ostend-
dere, dum is qui ut homo dormit in navi,
furorem maris ut Deus verbo coerct.
Porro iuxta allegoriam mare sive sta-
gnum, quod cum suis transire desiderat,
tenebrosus amarusque saeculi praesentis
accipitur aestus. Navicula autem quam
ascendit, nulla melius quam Domini-
cae passionis intelligitur arbor: cuius
beneficio quique fideles adiuti emensis
mundi fluctibus habitationem patriae coe-
lestis quasi stabilitatem securi littoris
obtinent. Quod autem ipse in unam na-
viculam cum discipulis Salvator ascen-
dit, alibi quid significet aperit, cum prae-
nunciato suae passionis resurrectionis-
que mysterio mox dicebat ad omnes:
*Si quis vult post me venire, abneget se-
ipsum, et tollat crucem suam quotidie, et
sequatur me.*

958 **N**avigantibus autem illis obdormivit. Quia
calcantibus saeculum fidelibus, futuri-
que regni quietem animo meditantibus,
et vel secundo Spiritus sancti flatu, vel
proprii remigio conatus infidos mundi
factus certatim post terga iactantibus
tempus subito Dominicae passionis ad-
venit. Unde bene Marcus hoc imminente
noctis tempore gestum fuisse perhibet,
ut veri solis occubitus non sola Domini
dormitio, sed et ipsa decedentis lucis
hora significet.

959 **E**t descendit procella venti in stagnum, et
complebantur et periclitabantur. Domino
puppim crucis, qua somnum mortis car-
peret ascendente, fluctus blasphemanti-
um persecutorum daemonicis excitati
procellis assurgunt: quibus tamen non
ipsius patientia turbatur, sed discipulo-

957 **t**imi iusti. Quamquam et innocentia pars iustitiae
est, sed consummatio eius apud humilem; non hu-
miliatis, sed humilibus dat gratiam. Est autem
vere humilis, qui humiliationem convertit in hu-
mitatem, et hic cum Davide potest dicere Deo:
*Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam iusti-
fications tuas.*: haec Bernardus.

Sunt autem plura quae ad humiliationem, et
humilitatis exercitium valent, de quibus ibidem
Bernardus sic dicit: * *Ad exercitium humilitatis
quinque prodesse possunt. Amor vilitatis, ut ea
quaerat homo in quibus et locus quidam videatur
iniuriae. Secundo, assiduitas subiectionis, ut sem-
per velit esse cum aliquo, quem reveretur et ti-
meat; ut discat frangere suam voluntatem. Tertio,
in humilitatis exercitio est comparatio melioris, ut
cum semper attendat homo, in quo inveniat gra-
tiam quae ei desit, oblitus quae retro sunt, et in
ea quae ante sunt extentus. Quartum est assidua
meditatio propriae conditionis, ut ad omnem elationis
motum statim occurrat. *Quid superbis, terra
et cinis?* Quintum est consideratio oculi inspec-
toris. Quomodo enim qui saepius confessionem
fecerit alicui de verbis quae arroganter dixerit, si
forte contingat, ut parvus simile aliquid loquens
illum videat audientem, valde confunditur; ita qui
considerat occultum inspectorem, cui cogitatio om-
nis confitetur, non poterit non erubescere, si ela-
tum quid meditetur; propterea non solum contra
superbiam, sed et contra vitia universa valde
utile est homini semper videre videntem se, et
sic attendere oculos eius in corde suo, ac si haec
sola cura sit Deo contemplari quid agat, aut quem-
admodum se habeat ipse.": haec Bernardus. Hu-
militatem igitur pro posse sectare, sine qua non
poteris proficere, aut virtutem aliquam possidere.
Unde iterum Bernardus: * *Humilitas ceteris vir-
tutibus in tantum est necessaria, ut absque ista
illae nec esse virtutes videantur. Nempe ut cha-
ritas sive quaeque alia virtus detur, humilitas me-
retur; quoniam humilibus Deus dat gratiam. Ser-
vat acceptus; quia non requiescit Spiritus nisi
super quietum et humilem. Servatas consummat,
nam virtus in infirmitate, hoc est in humilitate,
perficitur.*: haec Bernardus.*

autem primaeva aetate parentibus obediens, quantum labore corporum humiliter et reverenter sustinuit! Cum enim homines essent honesti, et iusti, egeni tamen et necessariorum penuriam patientes, teste praecepto, manifestum est quod sudores corporales frequentabant, necessaria vitae sibi inde quaerentes; Iesus autem obediens illis etiam in sustinendo labores subiectionem plenariam ostendebat: haec Basilii. Conspecte etiam qualiter ipsi tres comedunt ad unam mensam simul per singulos dies, non lautas et exquisitas, sed pauperes et sobrias coenas sumentes; et qualiter postea simul colloquuntur, non inania et otiosa verba, sed plena Spiritu sancto et sapientia, nec minus mente reficiuntur quam corpore; et qualiter post aliqualem recreationem convertunt se in cubilibus suis, ad orationem, non enim erat eis domus ampla, sed parva. Meditare etiam tria cubilia in aliqua camera, scilicet unum pro quolibet eorum, et insuere Dominum Iesum super unum sero post orationem se componere per singulas noctes, tam longissimi temporis spatio, sic humiliter, sic vilitate, sic etiam perseveranter, ut faceret quicumque alius pauperulus de populo. Quolibet sero in hoc strato deberes sibi compatiendo eum aspiciere, et te eidem humiliter, et devote recommedare.

FERIA SEXTA

Homilia S. Bonaventurae Episcopi.
DOM. IV. POST EPIPH., SERMO IV.

- 967 **D**OMINE, salva nos, perimus, Matthaei octavo.
- 968 Tria in his verbis notantur, scilicet affectuosa invocatio divinae maiestatis, devota requisitio divinae bonitatis, discreta insinuatō extremæ necessitatis. Primum, ibi: *Domine*; secundum, ibi: *salva nos*; tertium, ibi: *perimus*.
- 969 Dicunt ergo: *Domine*. Circa primum nota, quod discipuli vocabant et nos vocare debemus Dominum Iesum antonomastice *Deum*; ipse enim vere est Deus: propter virtuositatem, qua est terribilis inimicis; Psalmus: *Quoniam Deus excelsus, terribilis*, etc. — Propter veritatem, qua est honorabilis domesticis; primi Regum secundo: *Deus scientiarum Do-*

minus est, etc. — Propter benignitatem, qua est amabilis egenis; Isaiae quinquagesimo quinto: *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas et revertatur ad Dominum, et miserabitur eius, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum*.

Circa secundum nota, quod salutem merito debemus invocare a Salvatore exemplo discipulorum salvatorum; ipse enim *salvat nos*, etc. *Salvari* autem petunt et egent a tribus, scilicet a debilitate impotentiae succumbentis triforibus hostibus; Psalmus: *Non enim in arcu meo sperabo*, etc. *Salvasti enim nos de affligentibus nos*, etc. — A caecitate ignorantiae deviantis a coelestibus luminibus; Isaiae quadragesimo nono: *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae*, etc. — A poenaltate miseriae opprimentis multiplicibus calamitatibus; ad Philippenses tertio: *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae*.

Circa tertium nota, quod sine gratiae influentia et coelesti assistentia ad similitudinem discipulorum merito dicimur *perire*: propter defectum *luminis interni*, ad quod non disponimur; Baruch tertio: *Quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam*. — Propter defectum *habitus gratuiti*, ad quem non afficimur; Psalmus: *Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam*. — Propter defectum *exempli sacri*, quod non intuemur; Exodi decimo: *Nome vi-des, quod perierit Aegyptus?* — Propter defectum *consortii boni*, quod non sequimur; Michaeae septimo: *Perit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est*. — Propter defectum *exercitii evangelici*, in quo non occupamur; Psalmus: *Qui*

ebrogant se a te peribunt, perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. — Propter defectum *divini praeconii*, cui non vacamus; Psalmus: *Servite Domino in timore et exultate ei cum tremore, apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta*. — Propter defectum *peccati quotidiani*, a quo non cessamus; Osee decimo quarto: *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum*, etc.

Varia de vita occulta D. N. I. C.,
ex Ludolpho de Saxonia.

(VITA IESU CHRISTI, PARS I, CAP. 16.)

- 972 **I**n tanta tamen corporis afflictione et penuria, pia Mater replicatur mentis laetitia de tanti Filii praesentia. Unde ait Anselmus: "Quo, vel quali gaudio replebatur tota substantia eius, quando eum quem tantopere diligebat, quem Creatorem atque Dominatorem omnium rerum esse sciebat, secum degentem, secum edentem, seque quaecumque nosse volebat dulci affatu docentem haberet, quis capiet? Quantumvis mirabilis itaque et ineffabilis amoris affectus considerari queat, inter hunc talem tantae Matris Filium, et hanc talem tanti Filii Matrem perpendant hi saltem quoquo modo, qui unico dilectionis fervore saepe altrinsecus amant, Mater scilicet Filium, et Filius Matrem. Nec putetur ab aliquo, vel parum quid sentire in se quemlibet de affectu istius Matris in Filium suum. Nullo siquidem modo crediderim quod is qui ad eum intelligendum provehi meruerit, ab amoris ipsius dulcedine extraneus usquequaque fieri possit. Qui autem in huius dilectionis suavitatem transit, nullo pacto defendendum, quin et in retributionis eius participium transiturus sit"; haec Anselmus.

- 973 Vidisti quantam paupertatem, vilitatem et asperitatem, vigilando, dormiendo, abstinendo, et in omnibus suis acibus Rex regum, et Dominus aeternis dominantium per tam longissimi temporis spatia, pro nobis, sustinuit. Ubi sunt ergo quaerentes otia et commoda, quaerentes superflua et ornata, quaerentes curiosa et vana? Non didicimus in scholis Magistri huius, qui talia volumus. Sed numquid sapientiores eo sumus? Ipse nos docuit verbo et exemplo humilitatem, paupertatem, ac corporis et laboris afflictionem. Sequamur ergo summum Magistrum, qui nec fallere vult, nec falli potest, et habentes, iuxta doctrinam Apostoli, vitium et quibus tegamur, ad congruentem scilicet

necessitatem, non ad superabundantiam, his contenti simus. Aliis etiam virtutum exercitiis et studiis spiritualibus, continue, indesinenter et vigilanter, pro posse, insistamus. Ex hoc ergo facto Domini, accipe doctrinam in tuam parvitatem resiliendo; ac teipsum non solum in tuo, sed etiam in aliorum conspectu vilificando et per exercitium vilitum et humilium operum abticiendo. Videas continue defectus tuos, et peccata tua, et ea agrava quantum potes. Aliorum vero defectus post tergum proicias, et non videas; quod si videris, allevies et excuses, et ipsis compatiaris et succurras pro viribus, cogitans semper quod tu faceres peius, nisi sola sua gratia te conservaret Iesus Christus. Averte oculos tuos et mentis et corporis ab aspectu aliorum, ut in lumine vultus Dei conspiciere possis teipsum. Nihil enim ad te humiliandum utilius reperire poteris, quam si teipsum bene inspexeris. Unde ait Bernardus: "Volo proinde anciam primo omnium scire seipsam, quia talis scientia non inflat, sed humiliat, et est quaedam preparatio ad aedificandum. Nisi enim super humilitatis stabile fundamentum spirituale aedificium stare minime potest. Porro ad se humiliandam nihil anima venire vivacius seu accommodatius potest, quam si se in veritate perspexerit; tantum non disimulet, non sit in spiritu eius dolus, statuat se ante faciem suam, nec a se avertere abducatur"; haec Bernardus. Unde et Augustinus dicit, quod non est parvus ad beatitudinem accessus, cognitio infelicitatis suae. Teipsum ergo sine cessatione considera, et semper sine simulatione diuidica. In omni actu tuo, in omni locutione tua, et in omni cogitatione tua teipsum reprehende, et in te semper compunctionis materias studeas invenire, cogitando quod etiam bona, quae facis, non sunt ad plenum excocta, nec illo fervore quo deberent facta, sed multis inquinata negligentis, ut merito omnis iustitia tua panno menstruata comparari debeat mulieris.

SABBATO

Homilia Venerabilis Bedae Presbyteri.
IN MATTHAEI EVANG., CAP. 8.

- 974 **E**t ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli eius. Mare quod Dominus cum suis transire desiderat, praesentis saeculi tenebrosus accipitur aestus. Navicula, quam ascendunt, nulla melius quam Dominicae pas-

sionis arbor intelligitur: de qua alibi dicitur: *Si quis vult post me venire, tollat crucem suam, et sequatur me.*

975 *Et ecce, motus factus magnus in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* Illa tempestas non ex se orta est, sed potestati parei imperantis, quatenus se esse terrae marisque Dominum, cunctis ostenderet.

976 *Ipsa vero dormiebat.* O res mirabilis, is qui numquam obdormit, dormivit: dormiebat ergo corpore, ut Apostolos evigilare faceret, praecipue autem ne nos unquam animo dormiamus.

977 *Et accesserunt, et suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos, perimus.* Suscitant Dominum, ne fluctuum feritate dispereant, quia cuius mortem viderant, maximis votis resurrectionem quaerebant, ne eius morte carnali, mens eorum in perpetuum periret morte spiritali.

978 *Et ait illis Iesus: Quid timidi estis modicae fidei? Marcus: Nequid habetis fidem? Lucas autem: Ubi est fides vestra?* Id est, si potentem me in terra esse creditis, quare non in mari simul me ut vere Deum et creatorem omnium suscepistis? quare non omnia a me facta, in mea esse potestate creditis? *quare dubitatis pusillae fidei?* Fragiles in fide corripuntur, alieni omnino a fide puniuntur, sicut Iudaei et haeretici.

979 *Tunc surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.* Ventum quippe surgens resurrectionem diaboli stravit superbiarum: tempestatem aquae cessare fecit, dum surgendo de sepulchro Iudaeorum rabiem labefecit.

980 *Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei.* Non discipuli sed nautae dicentes: *Qualis est iste qui sicut homo videtur, et sicut Deus potentiam ostendi.* Sunt qui allegorice hanc naviculam praesen-

tem volunt significare Ecclesiam, ventos malignos spiritus et homines iniquos, qui desiderant, ut Ecclesia fluctibus et pressuris immergatur: sed licet Iesus ad tempus auxilium subtrahendo dormire videatur, precibus tamen honestis suscitatus, malignorum spirituum incitationem compescere facit et persecutorum minas mitigat, et flante aura Spiritus sancti, Ecclesiam ad aeternae quietis portam usque perducit. Tropologicè autem nos singuli catholica fide imbuti, navem conscendimus, mare cum Iesu transire conamur; qui nobis quasi inter aequoris fremitus obdormit, quando crebrescente immundorum spirituum, vel pravorum hominum impetu, inter medios virtutum nisus, fidei splendor obtenebrescit: spei celsitudo tabescit. Verum inter huiusmodi procellas, necesse est ut illum sedulo excitemus, qualiter ipse gubernator nobis salutis indulgeat litus, ut de tumultibus liberati, admiremur eius circa nos benevolentias, et mirantes gratias agamus.

Varia de vita occulta D. N. I. C.,
ex Ludolpho de Saxonia.

(VITA IESU CHRISTI, PARS I, CAP. 16.)

CONSIDERA etiam diligenter, et cum magno pavore frequentissime ruminas, quod omnem aptitudinem ad bonum, et ad omnem gratiam, seu quamcumque sollicitudinem circa virtutum acquisitionem, a teipso non habeas, sed Christus tibi dedit sola sua misericordia: qui, si voluisset, potuisset ita conferre cuiuscumque ribaldo, te in loco facies et lacu miseriae derelicto. Quomodo enim sibi aliquid tamquam suum attribuet, ac si ab ipso proveniat, qui multoties suam impossibilitatem in quibuscumque bonis operibus magnis et parvis est expertus, qui toties cognovit se non posse dum voluit; et quando, ut ita dicam, non voluit, nec curavit, nec super talibus cogitavit, sensit se subito divinitus excitatum, fervore mirabili ad illa opera faciendâ, quae prius cum omni suo conatu implere non potuit? Nam et talem impossibilitatem idcirco Deus tam longo tempore dominari in homine permittit,

et discat humiliari, et nunquam in seipso inaniter gloriari; sed Deo omne bonum attribuat, non solum consuetudine quadam et labiis, sed potius ex intimo sui cordis. Cogita etiam quod non est ribaldus, vel quicumque peccator, qui non magis assisteret Deo suo quam tu, et qui non magis recognosceret Dei beneficia quam tu, si recepisset gratias quas tu, sola Dei gratuita bonitate, et non propriis meritis, recepisti; propter quod potest te ipsum viliozem et inferiorem omni homine iudicare; et ne propter ingratitude tuam a suo conspectu te Christus foris abiciat, non immerito formidare, et peccata aliorum in te sub quadam similitudine transformare, sic te in tua conscientia increpando: Ecce ille est homicida, et ego miser multoties occidi animam meam; iste fornicator est et adulter, et ego tota die fornicor et adulteror, a Deo meo oculos meos averto, et diabolicis suggestionibus supponendo; et sic de aliis suo modo. Debes etiam habere in proprio tuo sentimento duo, videlicet quod sentias de teipso sicut de uno corpore mortuo foetenti, pleno veribus, et male olenti, et sicut de uno cadavere quod homines dedignantur videre, imo claudunt nares propter eius pessimum foetorem, et avertunt facies, ut non videant talem ac tantam abominationem. Et quod si quis de tuo corpore iustitiam faceret, sentias quod iustum esset ut tibi oculos erueret, ac nasum, aures, et os abscideret, et sic de aliis sensibus et membris corporis; quia Deum offendisti cum eis, et quod tantum de hoc gauderes, ut nunquam aliud de te tantum desiderares, aut velles, et quod omnia vituperia, verecundias, et diffamationes plus quam possent imaginari, vel cogitari, ut vinum biberes, ac cum summo gaudio et laetitia cordis reciperes, imo in facie ridens, splendens, et alacer appareres. Et quod omnes te videntes faceres admirari, et ad seipsos converti, et quod crederent non posse sine Deo hoc fieri. Deinde oportet quod diffidas de teipso totaliter, et de omnibus bonis tuis, et de tota vita tua, et convertas te totum, et reclines super brachia Domini Iesu Christi pauperissimi, humillimi, improprietati, despecti, et mortui propter te, usquequo tu sis mortuus in omnibus tuis sentimentis humanis, et quod Iesus Christus crucifixus vivat in tuo corde, et in anima tua, et totus transformatus et transfiguratus et vivus; et haec cordialiter sentias in te, in tantum ut nunquam videas vel audias nisi solum Iesum stantem in cruce suspensum, et mortuum propter te, ad exemplar beatae Mariae Virginis mortuus mundo et vivens in fide; et quod in illa fide vivat tota tua vita, usque ad resurrectionem in qua Deus mittet gaudium spirituale et donum sancti Spiritus in anima tua, et in illis qui diligunt adventum eius.

VIVES. — Homil. Breve. Rom.

Ex his praemissis generabitur in te virtus illa, quae est mater et origo omnium virtutum, scilicet humilitas, quae interiores oculos aperit ad Dei conspectum, cor humanum ab omni superflua cogitatione purgando. Nam dum homo in suam parvitatē resiliit, se vilificando, se increpando, se detestando, suam nobilitatem considerando, sibi metipsi intentissime displicendo, per haec et similia in tantum circa propria occupatur negotia, quod omnia alia inutilis cogitatio arescit, et sic dum omnia alia audita, visa, et temporali operata a se repellit, et in oblivionem adducit, incipit ad seipsum redire, et modo mirabili in seipsum revolvitur, et sic ad originalem iustitiam et coelestem quodammodo puritatem incipit propinquare. Sic, dum in seipsum reflectitur, contemplationis oculus dilatatur, et in se scalam erigit, per quam transeat ad contemplandum et angelicum spiritum, et divinum. Ad quod oportet, ut anima materialia omnia ab oculis suis excludat, sicut aliquis volens solem visibilem intueri, necesse est ut ab omnibus aliis visibilibus oculos avertat. Et ex tali contemplatione, animus ad bona caelestia inardescit, et omnia temporalia tamquam nihil et de longe prospicit. Per hoc illa charitas in mente fervescere incipit, quae velut ignis omnem rubiginem vitiorum consumit. Sic totam animam in tantum occupat caritas, quod non est qua intret vanitas. Iam quidquid cogitat, quidquid loquitur vel operatur, totum provenit ex dictamine charitatis. Ut ergo in bono iugiter perseveres, sta iugiter in timore, et a Deo totaliter recognosce, et ab ipso perseverentiam pete. Et si non vis corrumpere, noli alios iudicare, nec contra eos indignationis spiritu moverari, si eos vides in aliquibus deficere, et eis compatiri ex corde, ac pro eis suppliciter ora, et eos in corde tuo, quantum potes, excusa, cogitando quod non potes aliquid, nec ipsi possunt, nisi quantum Christi gratia manum suam porrigit, qui non pro meritis, sed pro suae voluntatis beneplacito tribuit. Si haec cogitaveris, firmus eris. Nam quae est causa quod multi quandoque incipiunt multa in abstinentia, et in aliis facere, qui non perseverant, corpore languente, vel spiritu frigescente? Certe nulla est causa, nisi propter eorum elationem et praesumptionem, dum de se praesumentes, aliis indignantur, et eos in cordibus suis iudicant, et Deus subtrahit ab eis donum suum, efficiunturque defectuosius plus quam alii, quos primitus severe iudicabant. Nam communiter istud accidit, quod quicumque alium in aliquo iudicat, Deus tandem eum in eodem defectu, vel maiori cadere permittit. Ergo servas Deo in timore, et si quando te sentias in exaltatione quadam, ob memoriam beneficiorum quae tibi donat Altissimus, apprehende disciplinam in-

crepationis et propriae reprehensionis, ne quando tibi irascatur Dominus, et pereas de via iusta, et cadas. Et breviter sequere utilem Anselmi doctrinam: "Omnia, inquit, interiora tua, et ea quae agis inspicias, et ad quem finem quaeque perventura sint videas. Et credo, nisi insanus sis, ea facies unde felicitatem et gaudium recipies; ea vero dimittes, unde tormenta et tristitiam mercaris": haec Anselmus.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. XIII, 24-30.

In illo tempore: Dixit Iesus turbis parabolam hanc: Simile factum est regnum caelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.

25. Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, et supereminavit zizania in medio tritici, et abiit.

26. Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania.

27. Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo: unde ergo habet zizania?

28. Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis, imus, et colligimus ea?

29. Et ait: Non: ne forte colligentes zizania, eradiceis simul cum eis et triticum.

30. Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

Homilia S. Augustini Episcopi.
QUAEST. IN MATTH., XI.

883 **C**UM negligentius agerent praepositi Ecclesiae, aut cum dormitionem mortis acciperent Apostoli, venit diabolus et supereminavit eos quos malos filios Dominus interpretatur. Sed recte quaeritur utrum haeretici sint, an male viventes catholici. Possunt enim dici filii mali etiam haeretici, quia ex eodem Evangelii semine et Christi nomine procreati, pravis opinionibus ad falsa dogmata convertuntur. Sed quod dicit eos in medio tritici seminatos, quasi videntur illi significari qui unitus communionis sunt: verumtamen quoniam Dominus agrum ipsum, non Ecclesiam, sed hunc mundum inter-

pretatus est, bene intelliguntur haeretici, quia non societate unitus Ecclesiae vel unitus fidei, sed societate solius nominis christiani in hoc mundo permiscetur bonis: ut illi qui in eadem fide mali sunt, palea potius quam zizania deputentur; quia palea etiam fundamentum ipsum habet cum frumento, radicemque communem. In illa plane sagena, qua concluduntur et mali et boni pisces (MATTH. XIII, 47, 50), non absurde mali catholici intelliguntur. Aliud est enim mare, quod magis mundum istum significat; aliud sagena, quae unitus fidei vel unitus Ecclesiae communionem videtur ostendere. Inter haeticos et malos catholicos hoc interest, quod haeretici falsa credunt, illi autem vera credentes non vivunt ita ut credunt.

984 Solet autem etiam quaeri, schismatici quid ab haeticis distent; et hoc inveniri quod schismaticos non fides diversa faciat, sed communionis disrupta societas. Sed utrum inter zizania numerandi sint, dubitari potest. Magis autem videntur spicis corruptis esse similiores, sicut scriptum est: *Vento autem corruptetur filius iniquus* (SAP. IV, 4): vel paleis aristarum fractis, vel scissis et de segete abruptis. Quo enim altiores, id est, superiores, eo fragiliores levioresque sunt. Nec tamen consequens est ut omnis haeticus vel schismaticus corporaliter ab Ecclesia separatur. Si enim falsa de Deo credit, vel de aliqua parte doctrinae quae ad fidei pertinet adificationem, ita ut non quaerentis cunctatione temperatus sit, sed inconcusse credentis, nec omnino scientis opinione atque errore discordans, haeticus est, et foris est animo, quamvis corporaliter intus videatur. Multos enim tales portat Ecclesia, quia non ita defendunt falsitatem sententiae suae, ut intentam multitudinem faciant: quod si fecerint, tunc per-

luntur. Item, quicumque invident bonis, ita ut quaerant occasiones excludendi eos, aut degradandi; vel crimina sua sic defendere parati sunt, si obiecta vel prodita fuerint, ut etiam conventiculorum segregaciones vel Ecclesiae perturbaciones cogitent excitare; iam schismatici sunt, et ab unitate corde discissi, etiamsi non inventis occasionibus aut occultatis factis suis Sacramento Ecclesiae corporali conversatione sociantur.

985 Quapropter illi soli catholici mali recte deputantur, qui quamvis vera credant quae ad fidei doctrinam pertinent, et si quid forte nesciunt quaerendum existiment, et salva pietate discunt sine aliquo praedicio ipsius veritatis, et bonos vel quos bonos putant ament atque honorent quantum possunt; tamen flagitiose atque facinorose vivunt, contra quam vivendum esse credunt. Tales enim etiamsi prodantur aut accusentur, pro disciplina Ecclesiae salutisque suae causa correpti, vel a communione suspensi, nullo modo sibi recedendum esse a communione catholica existimant, quocumque permissi fuerint satisfactionis quaerentes locum: et aliquando per poenitentiam in frumenta mutantur, sive correpti, sive remoti, sive etiam verbo Dei nullo nominatim accusante aut increpante perterriti. Aliquando autem etiam sub nomine poenitentium ita vivunt ut solent, aut non multo minus, quidam etiam amplius; nullo modo tamen a catholica unitate discedunt. Quibus ita viventibus si mors obrepserit, paleae deputantur usque in finem. Hoc etiam ipsi credunt: nam si aliter credunt, et inconcusse tenent, iam inter haeticos numerandi sunt, putantes omnibus Deum, etiam in magna iniquitate usque in finem vitae perseverantibus, tantum quia Ecclesiae unitatem, non sincera dilectione (nam bene viverent), sed magis poe-

narum timore tenuerunt, veniam daturum. Isti ergo non hoc credunt, vel non firmiter opinantur, etsi adhuc forsitan quaerunt: sed magis eos decipit spes dilationis, dum se diutius victuros putant, et perditos mores aliquando in melius mutaturos. Contra quos dicitur: *Ne tardes converti ad Deum, neque differas de die in diem: subito enim veniet ira eius, et in tempore vindictae disperdet te* (ECCLE. V, 8, 9). Illi enim convertuntur, qui recte vivere incipiunt; hoc est enim ad Deum redire: qui autem concupiscentias suas perseveranter sequuntur, dorsum quodammodo habent ad Deum, quamvis in unitate constituti saepe illum retorto collo conentur aspicere. Ergo et isti, ut ait Propheta: *Caro sunt, et spiritus ambulans et non revertens* (PSAL. LXXVII, 39). Sed tamen, ut dictum est, propter eandem fidem atque unitatem Ecclesiae, neque inter zizania, quoniam illa extra radicata sunt, neque inter aristarum paleam, quae se etiam frumentis audet aspera dissensione et fragili elatione superimponere, sed quamvis subiectam frumentis, tamen inter paleam quae ultima ventilatione separanda est, numerantur.

986 Boni autem catholici sunt, qui et fidem integram sequuntur et mores bonos: quod autem ad fidei doctrinam pertinet, ita quaerunt, si quid quaerendum habent, ut absit concertatio periculosa, vel quaerenti, vel ei cum quo quaeritur, vel eis qui disserentes audiunt. Ita autem docent, si quid docendum habent, ut usitata et confirmata securissime, et fidentissime, et lenissime, ut possunt, insistent: inusitata vero, etiamsi veritatis manifestatione liquidissima perceperunt, quaerendi potius quam praecipendi aut affirmandi modo, propter audientis infirmitatem. Si enim tantum habet pondus aliquid verum, ut vires discentis